

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

**Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent.  
eiusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. &  
Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia  
Lipsiensi, Commentarius In Librum ...**

**Mülmann, Johann**

**Dresdæ, MDCCI**

**VD18 10367071**

Caput XVI.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18377**

de dictos putant, quod à parentibus suis alter alteri sponderetur, & ut Varro loquitur, de sponte i.e. voluntate exiret.

**Quarto:** Qvod Pater Caleb Axæ filiæ dotis loco terram irriguam petenti illicò locum dat, prodit non tantum σογῆν suam erga filiam & benevolentiam erga novum generum; sed etiam docet nos honestum esse, liberos elocatos pro facultate rei familiaris quibusdam dotibus afficere: nec ob id μιθοφέργυ οδόν γανον i.e. foedus nuptiarum meritorium & venale fieri necesse est, qvod metuebat Solon apud Plutarch. sed est liberalitas illa affectionis & curæ paternæ testimoniū: tamen moderatio adhibenda est: Nam, ut Censorius Cato dicere solebat, danda sunt frena impotenti naturæ & indomito animali. Nam ut semel pares esse cœperint (uxores) ex templo superiores erunt.

## CAPUT XVI.

**I**N hoc capite assignatur tribui Ephraim sua hæreditas. Adoptaverat enim ambos filios Josephi Jacob: ut qvī alioquin unam sortem accepissent, duas singulari adoptionis privilegio adipiscerentur, Gen. 48.

*Partes capit is duæ sunt. I. Est ἡ γερενήλη continens terram tribui Ephraim distributam, usq; ad v. 10.*

*II. Est ἡ περιουσία, in qua vituperantur & accusantur Ephraimitæ, qvōd Cananæos non interfecerint.*

*v. 1. Cecidit sors filiorum Joseph)*  
Hæreditas Ephraim describitur à terminis suis; latus me-



meridianum, qvod Ephraim habet cum Manasse  
commune, definit Jordan: Jericho & aquæ ejus ab o-  
riente versus occidentem promanantes: ascensus so-  
litudinis ad Bethel in Luz: Archia Rarod, Chephleti,  
Bethoron, Gazer & tandem latus hoc clauditur mari  
mediterraneo.

v. 3. *Bethoron inferioris*) Duplicis  
*Bethoron* fit mentio in hoc capite, una est *inferior*,  
non procul ab Emaus, & est terminus Ephraim me-  
ridiana: altera est *superior*, sita inter Gazer & Galga-  
la, in media tribu Ephraim, de qua v. 5.

v. 5. *Per cognationes suas*) Divisa est  
terra 1. generaliter ratione tribuum, 2. specialiter rati-  
one familiarum seu cognitionum. 3. specialissime rati-  
one domorum. Exempli gratia, Ephraim tuit distin-  
cta in 4. familias Num. XXVI, 35. Sic etiam ejusdem  
hæreditas subdivisa est, ne aliquæ litigandi occasio re-  
linqueretur.

### *Contra Orientem Atharoth Addar*)

Ad occidentalem terminum pertinet *Bethoron superi-*  
*or* & confinia, in mare exireuntia v. 6. In latere ve-  
rò orientali ponuntur ordine hæc: Thamathseloh:  
Janoë: Machmethah, Atharoth Addar: quibus pro-  
pter vicinitatem annumerantur Naaratha & Jericho,  
seqvitur deinde versus meridiem Thaphua: vallis  
Nahalgana & mare mortuum, quo clauditur hæredi-  
tas Ephraim.

v. 8. *In vallem arundineti*) Hebraicè:  
בְּנֵי תְּרֵן i. e. torrens arundinis: nomen habet ab a-  
Zzz 2. run.



*rundinibus copiose in eo nascentibus.* Plerique putant, quod maximè probabile videtur, esse torrentem Cherith intra Hai & Jericho.

*v. 9. Urbesque separatae sunt filiis Ephraim)* Notandum est, quæ civitates Ephraim sitæ fuerint intra terminos Manassæorum, quæ de causa laboriosum potius foret opus, quam necessarium, si de utriusq; tribus terminis & lateribus accuratè distingvendis, vellemus esse nimis solliciti. Nam tribus Manassæ propter latitudinem suorum terminorum intra se complectitur urbes Ephraim.

*v. 10. Et non interfecerunt filii Ephraim)* Hæc est secunda pars cap. in qua S. Spiritus gravem dicam scribit Ephraimitis, quod non vi expulerint Cananæos ex urbe Gazer, quæ negligentia peccant contra expressum DEI mandatum. Deut. xx, 13. & VII, 16. *Devorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus datus est tibi: non parcer ius oculus tuus, nec servies diis eorum.* Et Num. XXXIII, 55. Jud. II, 2.

Deinde objurgantur ob avaritiam. Putant enim, majorem fructum percipi posse ex vivis, quam ex mortuis, ideoque Cananæos sibi faciunt tributarios.

Huc accedit tertia ratio, quod ministerium sacrum non mediocri redditum parte fraudant, assignantes quidem Levitis Gazer. Ios. XXI, 22. sed ad possidendum eam nunquam tradentes. Ob hæc & alia peccata cives non potuerunt inde delere usq; ad tempora Salomonis 3. Reg. IX, 15.

QVÆ-



*QVÆSTIO:*

*An Bethel & Luz re ipsa differant?*

*Affirmatur.*

i. Nam in textu expressè dicitur v. 2. *Sors filiorum Joseph egreditur de Bethel Luz am* sive in Luz. Hebraicè *לְבָתֵּר לִזְעָן* ubi affixum *לִזְעָן* cum *לְ* significat motum ad locum, unde sic argumentor:

Quæ habent se ut terminus à quo & ad quem, ea re ipsa differunt. Bethel & Luz habent se ut terminus à quo & ad quem.

E, re ipsa differunt.

*Negatur.*

I. Qvia scriptum est Gen. XXVIII, 19. *Vocavit nomen ipsius loci Bethel & utiq; Luz nomen civitatis antea scilicet erat.*

II. Jos. XVIII, 13. *juxta Luzam ad meridiem ipsa est Bethel.*

*SOLUTIO.*

I.

*De avaritia & incommodis.*

Ephraimitæ dum vectigalis spe irretiti Cananæos in Chazer tolerant, per eosdem progressu temporis idolatriæ consortio implicantur, ut videre est in Oseæ concionibus; sic sincero veræ religionis cultori

Zzz 3

nihil



nihil magis inimicum contrariumque est avaritia, quæ rectâ ambulantes ab orbita salutis abducit, expellens corde verum DEI timorem, fictitiumq; numinis cultum substituens. Unde *Paulus Ephes. V, 5.* *Omnis avarus est idolorum servus.* Qvare avaritia tanquam pestifera religionis lues est fugienda.

## II.

*In Ephraimitis proponitur nobis exemplum hypocitarum.*

Ut enim isti sacerdotibus qvidem urbem nobilem donant, cujus tamen redditus & tributum ad proprios usus transferunt: sic multos reperies Thrasonicâ levitate inflatos, qui plenis buccis suam in ministros verbi divini liberalitatem jactitant, qvibus re exigente ne obolô qvidem prosunt. Hos Deus ut tepidos & ministerii sui illusores ore suo emovet Apoc. III, 16,

## CAPUT XVII.

**C**ontinet caput hoc hæreditatem, quam dimidia tribus Manasse in parte terra occidentali per sortem nocta est, cujus complexu hæreditas quoque Ephraimitica ambitur. Qvia verò propter πολυοχλιαν non sufficit ad habitandum duabus tribubus, addit eis Josua sylvas ac montana, ubi gigantes habitabant.

*Partes capituli tres sunt:*

I. est μερωπηγόλα, docens, qvibus personis distributione facta sit, usq; ad v. 7.

II. est

